VEGE P.
DE PESTE
PAX DOGMAT.

1628

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

VEGE, P. de

65889/A

XVIII 5

PETRI DE VEGE GRATIANOPOLITANI MEDICI

Tractatus duo.

I. Peſtis præcauendæ & curandæ methodus certiſſima.

II. Pax Dogmaticorum cum Spagyricis.



GENEVÆ.

Typis & ſumpt. IOAN. DE TOVRNES.

M. DC. XXVIII.

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

INCLYTÆ VRBI
CAMBERIO,
AC EIVSDEM
CLARISSIMIS
CONSVLIBVS ET
Conſiliariis.

SOLENT *quando ſeparantur amici, perpetuam conſtantis amicitiæ memoriam ſculpere, principes in marte, qui amant in adamante, margarita, rubino, Ego autem in rore cæli & pinguedine terræ, vt peſtis ſpi-*

cula quantumuis acuta & violenta, obtundantur, repellantur, Et ſi furtim in incautum irrepſerint, igne ſolis mei conſumãtur. Hoc meo munuſculo fruere, odoris tui ſuauitate trabor, Camberium quamoptime vale, & in perpetuum vale.

PETRVS DE VEGE,
Medicus Gratianopolitanus.

PESTIS

PESTIS PRÆCAVENDAE ET *curandæ methodus certiſsima.*

SI quid in morbis diuini, id maximè in peſte ineſt, illius enim eſſentiam, cauſam, ſoli Deo, hominum nulli cognitam ex ſententiarum, definitionum varietate indicatur Medicorum pars maxima, quæ non intellectæ Hipocratis auctoritati innititur; ſub genere febris conſtituunt, Piſtorius Nidanus, nulli ne Hipocrati quidem ſecundus, negat habere cum febre affinitatem vllam, ideo non rectè dici febrem pe-

ſtilentem, vt non rectè dixeris hominem caninum, quoniam quæ tota ſpecie differunt, non poſſunt eadẽ nominatione notari. Vulneri quandoque ſuperuenit & coniungitur febris, nulla tamen eſt affinitas vulneri cũ febre, toto genere ſeparantur, ideo non recte dici poteſt, febris vulneraria, nec vulnus febrile. Piſtorius definit morbum eſſe cordis tota ſubſtantia deleterium. Paracelſus hanc eandem tradit eſſe intoxicationem, non negant tamen hæc duo, nec ergo quandoq; cum peſte febrem coniungi Paracelſus & Piſtorius omnium optime ſentire mihi videntur, nec illi medicorum parti maximæ patrocinari Hipocratem libro de flatib. dicentem, *Sunt autem febrium genera duo, quorum vnum commune omnibus;*

bus, peſtis appellatur, alterum propter malam dietam his accidit qui ea vtuntur.

Mirabitur Lector, inultabit mihi Paracelſi & Piſtorij ſententiam confirmanti, approbanti, illi ſubſcribenti, ab Hipocrate recedenti, ideo quòd verbis apertis peſtem libro citato in claſſe febrium ponat.

Reſpondeo ipſe, Hipocratem nõ definire febrẽ calore, quemadmodum pars illa Medicorum maxima primis qualitatibus minimum tribuere, hominem propter calorem nõ febrire neceſſe in ſe quicquam calidum quod non ſit cum altera poteſtate cõiunctum, non ſunt calidum aut frigidum, humidum aut ſiccum quæ maximè lædunt, &c. Ideoq; in febre ſimplici aliquid etiam diuini ineſſe iudico Medico in-

cognitum : quod ex Fernelio probatur, docente (lib. de abditis) incognitam eſſe febris eſſentiam, vt in Pacis meæ capit. ſecundo obſeruatum fuit.

Qui peſtem febrem eſſe profitentur, non video quam illius ſanandæ methodum inſtituent.

Si peſtis febris eſt, ergo calor eſt ex corde in corpus vniuerſum diffuſus, Si calor eſt contra naturam, contra hunc refrigerantibus certandum fuerit, quoniam contraria contrariorum ſunt remedia, Ita fiet vt magis magiſque claudantur pori, quos tamen apertos eſſe neceſſe eſt, vt qui in corporis humani latitat hoſtis, & ſinus cordis occupare nititur, à centro ad circumferentiam trahatur naturæ potentis conſilio.

Si contra dogmatica contra hunc

hunc calorem calidis pugnemus: verbi gratia theriaca (quam omnes fere dogmatici præſcribunt ad malignitatis conſumptionem) vt ejus à quo majus periculum imminet, habeatur ratiō, Incidet infirmus in Scillam Medico ductore cupiente vitare Charibdim; calor intendetur & febris ex qua non minus periculi; quàm ex peſte, ſi proprium hujus fuerit præſens remedium. Nam peſtis licet celerius depaſcatur, conſumat, ſuffocet humanum noſtrum balſamum, ſpiritus innatos quam febris & calor ille incenſus contra naturam, tamen cùm ſit ſpiritus omnium ſubtiliſſimus, facilius reſoluitur, quàm febris extinguatur.

Vt morbus Hipocrati cognitus, nobis à Paracelſo & Piſtorio

reuelatus) indicat remedium à paucis obſeruatum , ita curationes meæ , quæ proprio fiunt remedio,morbum hunc diuinum, oculis puerorum exhibent , & palpandum tradunt,Ita fit vt qui in hunc vſque diem affectus fuit diuinus,fiat nunc puerilis.

Morbi certitudine(quam tibi acceptam refero Hypocrates, tibi Paracelſe , tibi Piſtorie ,) & curatione mea proxima concludi volo habere cum febre affinitatem nullam,& proprium illius extare remedium,Medico ſagaci ab Hipocrate libro citato indicatum,venia impetrata ab illo Lugduneo Medico , eloquentia ſumma illuſtri , arte Apollinea claro , qui proprium huius affectus negat eſſe vllum.

Proprium peſtis remedium dico, quo præſumpto, præcaue-

tur,

tur, quo tempeſtiuè aſſumpto, illico conſumitur, diſſipatur, vt ſit proprium peſtis remedium non illud Dialecticorum quarto modo, quod omni & ſoli conuenit, ſed illud prædictum conueniens.

Hipocrates libro citato de flatibus, morbum, morbi eſſentiam nobis indicat, & hoc præſtito, vim, qualitatem, poteſtatẽ & curationem his verbis, *Communis ergo febris propterea omnibus accidit, quod eundem ſpiritum attrahant omnes, fitque vt ſimili corpori, ſimiles ſpiritus, ſimiliter permixti, ſimiles generent febres.*

Quando igitur aër ejuſmodi inquinamentis plenus eſt, quibus natura humana offenditur, homines ægrotant.

Ecce Camberium cui non ſolum opuſculum hoc meum, ſed

& me licet abſentem dico, in poteſtate enim naturæ & artis eſt, vt Medicus peritus, abſenti, iacenti, non viſo ſuccurrat ægroto.

Ecce Medici longè me peritiores omnes, vos quoque infirmi, doctoribus permultis veſtro damno & periculo doctiores, toxicum à Paracelſo prudenti, doctiſſimo obſeruatum, cognitum, traditum, licet ab Hipocrate acceptum, Ecce inquam morbum cordis tota ſubſtantia deleterium, hoc toxicum quis ex vobis Medici dogmatici-dogmatici, ſpagirici, non iubeat ex viſceribus intimis eiici remedio diaphoretico, non venæ ſectione, non purgatione, cum ſit catharticum huic ſpiritui educendo nullum omnino dicatum.

Nunquid Hipocrates, qui prius

prius mulciber in terram, in Piſtorium in me ſtare videbatur, nunc pro Troia, pro me ſtat ipſe mutatus & factus Apollo?

Anno Domini 1623. Camberij graſſabantur exanthemata (quæ peſtem leuiorem iudico, eam verò quæ bubone & antrace prodit grauiorem) eximij viri in ſupremo Sabaudiæ Senatu Procuratoris celeberrimi, amici mei Faber nomine vxor, virtute fulgens & honore, prudentia clara, malè ſe habuit, primo morbi die, ſecundo ac tertio deterius, quarto morbi, tertio curationis peſſimè, ſecundo inquã morbi die, purgationem ex rhubarbari infuſione & manna preſcripſi, die ſequenti venæ ſectionem ad ℥ vj, ſanguinis puriſſimi. Quarto morbi die, præ foribus mors adfuit, præmonuit ipſa vi-

res illam deficere, vt non cunctarer ſuccurrere rogauit, ſpes ſalutis nulla erat, fauore diuino aderat nomine Martinus pharmacopæus peritiſſimus, hic meo conſilio & precibus obſeruauit ſi quid ab exanthematibus eſſet periculi, & ſi qua apparerent indicia, retulit vix poſſe viſu obſeruari, aliqua tamen apparere perquam exigua.

Ex pulſu & vrina nulla febre infirmam affici iudicaui, perterritus, ab admonitu pharmacopæi prudentior factus, ſulphuris ſuccini diaphoretici guttas duodecim ex aqua cardui benedicti exhibuit ipſe pharmacopæus iuſſu & conſilio meo, ægrotantis viro præſente, ſpectante, paulo poſt, ſudore copioſiſſimo ad habitum expulſis exanthematibus plurimis, maximis, (veneno) eo-

que

quę ſudore finito, priſtinæ ſanitati reſtituta fuit, ne minimo febris relicto ſymptomate, ſola remanente infirmitate, virium maxima iactura, quoniam febris prius nulla erat.

Quid ex hac mea curatione concludi expectas Camberium? ſola peſte illa leniori infirmam laboraſſe, cui nulla erat cum febre coniunctio, nulla denique febris cauſa, ſed ſumma temperies humorum & qualitatum ante ſpiritus illius & inquinamenti reſpiratione attractionem. Ideo rectum & verum indicium probatur, Quod peſti dicato remedio & proprio, præſtito, febrili opus non habuit, ſanatione conſequuta, nullo, vt dixi, apparente ſymptomate, nulla illius ne minima ſuſpicione. Huius ſanationis momentaneæ, in hac vrbe

prius non auditæ, admonita vidua in eodem Senatu Procuratoris Tomaſſet, ipſa quoque omni honore profectò digniſſima, ſalutem ſuã fidei meæ commiſit. Alterius prædictæ periculo & ſalute ſubſequuta, cautior ego, tametſi ex pulſu & vrina febrem adeſſe iudicarem, metu mortis ab exanthematibus, ſeu peſte illa leuiori, tamen exitiali, quoniam ſalutis ſpem habebant nullam prius vocati medici; iuſſi vt miniſtrãtes obſeruarent, (obſeruaui etiam ego) ſi aliqua apparerent, perterritus ſicut prius, quibuſdam viſis tanquam atomis, & ſignis omnibus quæ febrem comitari ſolent duplici morbo, febre & peſte illam laborare indicaui, ideo ſulphur meum ſeu oleum ſuccini diaphoreticum ſicut prius exhiberi iuſſi,

iuſſi, paulo poſt ſemihoram, vi ſpirituum innatorum aucta per ſpiritum hunc meum ſulphureum, aſpectu iucundum, ori nõ ingratum, odore ſuauiſſimum, vires proſtratas reparantem, inquinamentum illud Hipocratis explodentem, ſudore etiam copioſiſſimo maximo excitato, cutis fœda enthematibus plena fuit, hoc veneno, ſarcina hac poſita melius ſe habuit, febris nihilominus perſtitit per aliquot dies, quam febrili purgatione, ſeruatis legibus dogmaticis; ſanauit illam Deus.

Dixi poſt aliquot dies, tam enim erat debilis vt quæ erat febris peſtilentis cauſa, tam cito educi non poſſet, nec liceret, quantumuis clementi & benigno catharctico, vi ſulphuris ſeu olei diaphoretici mei præ-

dicti euacuari nec poterat, cuique enim affectui conuenientia adhibenda remedia his accedentibus propriis illis febrilibus & ſelectis remcdiis, in Pacis meę capite ſecundo citatis, conualuit, nupſit.

Ecce Lector, vos quoque omnes Medici medicamentorum ſpagiricorum & dogmaticorum coniũctione ſanatam mulierem cuius vir ſolis dogmaticis ſanari non potuit.

Similis affectus accidit viro robuſto, potenti, ætate florenti, gladiatori nomine Bardin, permiſtā erant peſtis & febris ſigna certiſſima & ſymptomata omnia, hoc vnum ſciens medicamentum hoc meum peſti proprium febrienti non poſſe obeſſe; neq; calorem augere, ſicut prædictis mulieribus medica-

men-

mentum idem exhiberi iuſſi; & celerius quàm in illis, toxicum Paracelſi, inquinamentum Hypocratis locum ceſſit naturę humanæ potentiori, adueniente ſulphuris mei diaphoretici ſubſidio & fauore.

Ex hiſce duabus poſtremis curationibus meis, quis medicorum aliud inferre poſſit, quàm peſtis & febris fuiſſe coniunctionem?

Iam labore meo effectum eſt, vt ſit hic affectus cognitus cuiuis, & medicamẽtum proprium, hoſtem hunc noſtrum excludẽs, Quid prætereca optas Camberium quàm dietam & præcautionem, ne forte mora minima, diminuto, conſumpto primigenio humido, fiat innati ſpiritus diſſipatio, ſuffocatio, extinctio? optabis hæc vt credo, ac

diſcere in hunc vſque diem Vniuerſitatibus omnibus incognitum, non doctum vel ab alio traditum, qui fiat vt cùm ciuitatis ciues omnes, toxicum hoc reſpiratione attrahant, non afficiantur omnes, moriantur plurimi, illæſi remaneant plures? Hoc fieri crede à robore & potentia naturæ vel debilitate, iſta ſe ligandam & conſtringendam veneno tradente; illa peſtis vincula dirumpente.

Hæc ſunt quæ in Epiſtola tibi dicata promiſi, optatis, promiſſis præſtabo maiora, dicam & ab anteceſſoribus licet accepta, paucis conceſſa referam, Eius ſulphuris quod paſſim vili pretio venditur arcano ſeu eſſentia fieri, vt eo die quo quis vtetur tutus ſit nec pertimeſcat, teſte Paracelſo & Crolio, inunctis

ctis tamen naribus ſulphure prædicto diaphoretico, audita peſtis in regione vel vrbe graſſatione.

Sobriè quiſque viuat non mutata tamen dieta, quoniam huius morbi cauſa non eſt, & ſi quis ſibi metuat ab aliqua febris futuræ cauſa, ne fiat vtriuſque hoſtis coniũctio, eccoprotico blando, leni medicamento expurgandæ prius regionis dicato, hanc abigat.

Fumis & odoribus ab anteceſſoribus meis præſcriptis, inquinamentum quo plenus eſt aër, conſumatur.

Infirmi dieta, erunt iuſcula & pultes, ne in edulij fortitudine occupata natura, à morbi conuictione, veneni conſumptione diſtrahatur.

Diuitibus infirmis ſit pro cibo

medicamentoſo aurum diaphoreticum, quo qui nutritur, non moritur fame vt nil comedat, quantumuis parum de illo accipiat.

Pro medicamento autem ſit ſpiritus auri, quo fit vt ſicut camo & fræno retinetur equus, ita peſtis hoc ſpiritu ne vltra progrediatur.

Reliquis ſpiritus diaphoretici ſulphuris minimum diſtans à ſpiritu ſolis.

Antracis & bubonis curationem ab Arnaldo Villanouano, Bairo reliquiſq; traditam tranſcribere, Illorum gloriam præripere, meum non eſt, ſed lucem hanc meam in tenebris errantibus viam rectam demonſtrantem offerre, vt hac methodo, theriaca hac mea potentiſſima, regina diuina, grata, odorifera,

doſi

doſi exigua venenum conſumatur, humidum radicale reparetur, ſpiritus innati accendantur, roborentur.

THERIACA VEGAEA.

℞. Spiritus auri q.ſ. vnicornu gr. x. liquoris perlarum gr. xij, balſami naturalis guttas tres ex aqua cardui benedicti exhibe ægroto ſtragulis cooperto.

De Spiritus auri præparatione, vide Paracelſum lib. de ſpiritib. planet. & lib. de tract. phyſic. item lib. de vita longa, & lib. de natura hominis, Raymund. Lull. lib. 1. mercuriorum Panaceam Auream Franciſci Antho Lundinenſis.

Huius ſpiritus præparationes video paululũ diuerſas, faculta-

tes paulo etiam maiores mino-réſve, ex doſi maiori, & quan-doque minori.

Si quidem eſſentia ſeu tin-ctura auri ſpiritus eſt cuius doſis gr. iij. ſolum, in ea eſt enim tota facultas auri.

Aurum potabile etiam eſt ſpiritus cuius doſis ℈ j.

Tinctura Phyſicorum etiam auri eſt ſpiritus omnium ſupre-mus, in cuius decoctione non eſt adhuc mei miſertus Deus, hoc tamen ab illius clementia & liberalitate accepi, tribus conſtare hypoſtaſi ſola diffe-rentibus, eſſentiæ vnius (ecce Trinitatis imago) aqua ſicca puriſſima, ſpiritu fœtente id eſt ſulphure (etiam ad ſupre-mum puritatis gradum dedu-cto, decoctione maturrimo, hu-manæ naturæ gratiſſimo) & cor-

pore attenuato, ſpirituali facto. Authore Gebro rege veridico, & Paracelſo confirmante ac dicente, Eſt itaque tinctura Phyſicorum admirabilis quædam res, quæ ex tribus tranſit in eſſentiam vnam, cuius doſis exigua grani vnius, operatio potentiſſima.

Aurum verò potabile binario clauditur numero, auro & corroſiuo, Eſt autem auri corroſum, aurum phyſicorum, de quo dicitur, Aurum phyſicorum non eſt aurum mercatorum. Eſt inquam Paracelſi temperatum, nullo modo humanæ naturæ corroſiuum, quoniam aqua eſt noui luminis, quæ melioratur à pomo, & pomum ab hac aqua; & temperato, auro mercatorum præſtantiori, quoniam decoctione tranſit in tincturam: Ita

fit vt aurum ſoluatur auro, aurum durum, mortuum, auro liquido & viuo.

Cæſareæ Maieſtati non poſſunt offerri maiora, quoniam ſunt hæc naturæ & artis ſuprema, hæc inquam Camberium eo animo quo offeruntur accipe.

PETRVS DE VEGE,
Gratianopolitanus Medicus.

PAX
DOGMATICORVM
Cum
SPAGYRICIS.

SERENISSIMO

VICTORI AMEDEO, SVBALPINORVM Principi, Sereniſſimi & Inuictiſſimi CAROLI EMANVELIS Sabaudiæ Ducis filio.

GRAVISSIMVS *eſt conflictus* (*Princeps Sereniſsime*) *ſpagyricorum cum dogmaticis medicis, vtrique aciei præficiuntur viri grauiſsimi. Ius belli nullum eſt, cadunt*

dunt tamen non qui certant, ſed procul ab exercitu remoti, Pontifices, Imperatores, Reges, Duces, Principes & viri optimi quique. Propugnaculum itaque tutiſsimum ad ſalutem veſtram defendendam, pacem hanc exiſtimaui, quam ſi gratam habuerit, animum addet ad maiora Sereniſsimus.

PETRO DE VEGE
alumno ſuo.

IN PACEM D.D. DOCTORIS PETRI DE VEGE.

CLAVDIVS IAVNINVS Profeſſor Hebræus.

TVRBA fuit quondam multorũ cauſa malorum,
Quos motos fluctus componit pace VEGÆVS,
Nectare & Ambroſia de Solis fonte fluenti.
Illum felicem baſilica Chymica dicit,
Non modò felicem, ſed térque quatérque beatum,
Hermetis tanquam hunc complectere Gallia prolem.

DE

DE IGNORANTIA HVMANA IN OPERibus Naturæ.

Cap. I.

RES fieri externo ſenſu quidem obſeruamus, modum quo fiant ignoramus, Hippocrates enim noſter, *lib. de natur. pueri*, volucrem ex oui luteo naſci, nutriri ex albumine ſentit: Ariſtoteles verò naſci ex albumine, nutriri ex luteo. Quis in hac controuerſia ſententiam ſuam ferre audeat? An qui totum ex toto, & partes ex partibus? Arborem diuerſum alimẽtum pro inſiti oculi nutritione, diuerſa

ſugere ex terra exiſtimauit idem Hippocrates. Quid ſi diuerſi generis quamplurimi inſerantur, an diuerſi generis ex terra proliciet alimentum arbor, vt eo alatur, augeatur oculus vnuſquiſque iuxta genus ſuum? An non hoc eſt iudicium tribuere plantis? An rectius ſentiet qui per transmutationem alimenti in oculũ nutritionem fieri affirmabit. Illius inquam, quo nutritur arbor, vi & robore à D.O.M. inſito, quo vnumquodque nõ modo generat ſibi ſimile, verumetiam ſe ipſum alit, tranſmutans alimẽtum in ſe, vt idem alimentum in terra, diuerſiſſimis ſufficiat oculis; vt fœnũ idem equo, boui, ceruo, capræ, aſino. Si diuerſiſſimi cibi eidem præſtant alimentum indiuiduo, quid ni vnum diuerſis? Exiſtimat Hippocrat.

pocrat. *lib. de diæt.* ſemen animatum; dicens, *irrepit anima hominis in hominem, ignis & aquæ temperamentum habens.* Negat Fernelius *lib. de abdit.* Sed quidni ex homine decidere poſſit ſemen animatum illico in vterum ſuſceptum, animam vehens ſenſitiuam, vt ex arbore oculus anima perſiſtente vegetatiua. Quis hominum ad naturæ penetralia, eouſque vnquam perductus eſt, vt vel coniecerit vim & modum quo magnes trahit ferrum, rhabarbarum bilem? An ſufficiat commemorare totius ſubſtãtiæ ſimilitudinem, cum rhabarbarum amarum, & manna dulcis eundem trahant & educant humorem. Cum inquam colocynthim bilem vtramq; & pituitam euacuare ſenſu obſeruemus, nec tamen medicamentum vllum

poſſit omni humori ſubſtantiam ſimilem habere. Qua vi in hos tres humores incumbet? Si generalem adferas, quænam illa eſt? nunquid à totius ſubſtantiæ ſimilitudine diſcedis attonitus: & in modo operandi naturæ ignarus? Quoties Fernelius Galenum reprehendit in modo operandi naturæ, vt taceam modum corruptionis & generationis in quo diſſentiũt rurſus Hippocrates & Ariſtoteles, hoc ſentiente corruptionem vnius eſſe generationem alterius, Hippocrate vero contra dicente *l. 1. de diæt.* nullum omnino corpus perire, neque fieri quod prius non erat. Idem Hermes Triſmegiſt. *in Pymand.* Vide Proclum lib. de anima & dæmone.

De ignorantia Medicorum, in operibus medicinæ.

CAP. II.

NOn ſolum in operibus naturæ diſſentiunt viri grauiſſimi, ſed etiam in operib. medicinæ, alias peritiſſimi (ex ignorantia diſcordiam, vt ex ſcientia & veritatis intuitu concordiam naſci credo.) Tanta eſt enim repugnantia ſpagyricorum & dogmaticorum, vt profiteatur Seuerinus Danus *in Idea*, nihil habere nos dogmaticos commune cum Spagyricis præter venæ ſectionem, Neque ſolum à dogmaticis diſſentiũt Spagyrici, ſed & dogmatici à dogmaticis. Imo idem à ſeipſo (vt turrim Babel hanc artem non ineptè dixeris) docente Hippocrate *l. de natura hominis*, quandoque, febres om-

nes à bile, quandoque ab omni humore fieri. Fernelius *tractatu de febribus* genus febrium conſtituit ſecūdum genus humorū, in abditis rerum cauſis autem à ſua ipſius ſentētia diſcedens incognitā febrium eſſentiam confitetur, neque has ſolis euacuantibus & immutantibus iulepis, apozematibus, ſyrupis curari niſi propria & ſelecta his remedia accedāt. Hinc Seuerinus Danus non contētus facilitate Dioſcoridis & Galeni, tria quęrit in medicamentis principia, vt quæ illorum propria ſit facultatis ſedes, perſpectum ſit, ſal, ſulphur, & Mercurium, à dogmaticis ideo repudiata, quoniam à tam multis ſeculis maximo dedecore ignorata, vt venia ſpagyricis videatur merito danda, tā craſſam eorum ignorantiam deri-

den-

dentibus,ſi tamen modeſtius cũ ipſis egiſſent. Ex tam graui procerum diſcordia,ne tanta clades in genus humanum incidat, vt ægri cui ſalutem ſuam committere debeant,ſpagyrico,an dogmatico, quid de vtriuſque medicinæ veritate ſentiam (ſi tamẽ vtramque dicere licet, cum ſit vna eademque) Dogmatici & Spagyrici Doctores,vos quoque Infirmi ſi vobis hoc dignũ fuerit,in capitib.ſequentib. audite.

De Medicinæ veritate.

CAP. III.

CVM nullã aut perexiguam opem feramus dogmatici Epilepſiæ, quæ præ tẽporis longitudine ac vltra vigeſimũ quintum annum radices fixas in anatomia humana egit, Arthritidi

inualeſcenti, lepræ, ac hydropi, porcis & capris optima quæque medicamina noſtra dicauit Seuerinus medicamina agere (cōtra Galenum) per primas ſecundaſve qualitates negauit, artis noſtrę optimæ, optimè conſtitutas leges ſubuertere conatus eſt, nullis interim medicamentis ad horum morborum curationem in medium prolatis. Vna ſola ex Hippocrate deſumpta ſanationis vniuerſalis deſcriptione rectè exhibita, & vi agendi ſpiritibus medicamentorum attributa. Tāta eſt Paracelſi in nos crudelitas, vt illius ſolo nomine audito, offendantur pharmacopæorum & medicorum noſtrorum aures: Cuius libri omnes, ſi igni conſecrarentur, pium opus fore exiſtimem, quod optima queque (detur quod ſibi cognita) glorię

cupidus

cupidus, ſalutis humanę vt videtur inuidus, ſibi tribuens, licet à dogmaticis medicis accepta, tenebris obduxerit, dictionibus & vocabulis barbaris à nemine mortalium intellectis vſus. Æquior Alexander à Suchthen. *lib. de vita longa.* qui in leuiorib. noſtra merito probanda approbat, grauiorum curationem auro potabili philoſophorũ tribuit, tanquã omnis mirabilitatis ſubiecto, innatum calidũ augenti, primigenium humidum reparanti, totam humanã naturam corroboranti & confirmanti, illiuſque præparationem verbis breuibus quidẽ, intelligenti apertis, Hippocratis noſtri ritu, tradit, non neglectis noſtris legib. tam rectè ſanctéq; ſtabilitis, vt citra has, etiã vniuerſalis medicina nõ niſi empiricè exhiberi poſſit. Quis

enim ita demens vt in plethora, ſynocho, ardente febre, pleuritide, &c. ſanguinis miſſionem, in cacochymia legitimã purgationem prætermiſerit? Ratum ſit igitur nõ niſi maximo ægrorum diſpendio artem noſtrã dogmaticam à ſpagyrica ſeparãdã, nec ſpagyricam omnino tanquam à dogmatica differẽtem reiiciendam. Sed ex vtraq; verã ac perfectam cõſtitui medicinæ ſcientiam; citra harum vnitatem & connexum, errorem; in coniunctione certitudinem atque medicinæ veritatem.

Quid ſit curationis author.

Cap. IV.

LARGA & ambigua loquendi ratione vſum Hippocratem aſſerit Seuerinus Danus in *Idæa*, dicentem naturam curatricem mor-

morborum, totam curationem medicamẽtorum ſpiritibus ſpagyricorum modo pręparatis, exaltatis, à vinculis terreis ſeparatis, ab aqua vana repurgatis tribuere. Contra hũc ſentit Suchthenius, inquiens, *Corporalis balſamus vita eſt, medicina præſeruãs à putrefactione, ne corrumpatur, id eſt, ægrotet. Et ſi in morbum inciderit, etiam eſt medicina quæ ipſum ſanat.* Si in maſſa corporis morbus hoſpitium habet, ſufficientem medicinam habẽt Auicenna & Galenus. At ſi in Balſamo, nequaquam, nulla enim alia re purgari poteſt quam Balſamo, maioris mundi Mercurium vniuerſalẽ, ſeu ſpiritum vitæ intellige: Ob id vitam mundi corpus fieri oportuit, & dicitur eſſentia quinta in metallis, ſed non aliter quàm ſemen quod excreſcere

debet in fructum qui aurum eſt. Quod quidem aurum vita eſt microcoſmi, vim, & efficaciã habens clarificãdi & purgandi hoc noſtrum balſamũ, quod attingi non poteſt à laxatiuis, ideóque medicis manent incurabiles lepra, epilepſia, podagra & hydrops. Ecce quàm rectè ſentiat Alexander, curationem attribuens animæ & vitæ corporis humani, id eſt naturæ à medicamenti ſpiritu clarificatæ adiutæ (iuxta Hippocratem dicentem *anima perficit omnes corporis actiones*) & hanc eandem auro potabili tanquam alimento, copiam ſpirituum ſuppeditanti. Nihil diſſentiens ab Hippocrate affirmante ac docente, *Quod medicina id quod moleſtat tollit, & id à quo homo ægrotat auferens, ſanum facit, idem ſua ſponte natura facit.*

Pau-

Paulò poſt auri præparationem docens quo anima noſtra vegetatiua reparetur, ſeu illo ad quatuor grauiſſimorum morborum curationem vtatur præparato, in ſua aqua ignea ac temperata ſoluto, digeſto, prius à fæculentia terrea repurgato vino. Rationalis autem anima à D. O. M. vegetatiua & ſenſitiua ſuperior, illis ſuperinfuſa, in his quæ ſuæ ſalutis & proximi, ac Dei creatoris ſui occupata nullo egens medicamento, nec alimento vt ſit perpetua. Ecce quanta concordantia vniuerſalis medicinæ à fæculentia terræ & aqua vana liberæ, cum Balſamo noſtro: quo à medicamento vniuerſali corroborato, facilè etiam ſummorũ illorum, potentiſſimorum monarcharum copiæ diſſipantur, & caſtra ſubuertuntur, illæſa natu-

ræ humanæ anatomia. Sit igitur in confeſſo, nec totam curationem humanę naturæ, nec totam aſtralium medicamentorũ ſpiritibus aſcribendam, ſed vtriſque: Medicamentorum inquam ſpiritibus, non ſolum vt inſtrumentis, ſed etiam vt adjuuanti ac efficienti cauſæ.

De Curatione vniuerſali.

Cap. V.

VT Ariſtoteles quæ toto orbe diffuſa continentur ad ſumma ſua genera, ſic morbos omnes Seuerinus, Danus *in Idea*, ad quatuor tanquam potentiſſimos Monarchas reduxit, Epilepſiam, podagram, hydropem, lepram. Non lõgè in hoc ab Hippocrate recedens, dicente, *morborum omnium vnus & idem modus*

dus eſt, locus differentiam facit, quare videntur quidem morbi nil ſimile habere inter ſe; propter diuerſitatem ſcilicet locorum: cum ſit tamen vna morborum omnium & ſpecies & cauſa quoque eadem. Horum quamuis crudelium ac pertinacium inimicorum caſtra & copiæ omnes ſub vnius potentioris Imperio (qui ſpiritus vitæ eſt cum auro viuo non mortuo) eſſe aſſerit, illorum copias & conſilia diſſipante, humanam naturam conſeruante ſanationem vniuerſalem & perfectam, inquiens, ablationem impuritatũ vel radicum morbidarum mixtione non neceſſaria in humana natura inſitarum, quæ balſamo naturali remediorum humanæ naturæ cõſentaneo perficitur reſoluente, conſumente, diſſipante impuri-

tatum ſeminarias tincturas, corroborante verò, conſolidante & cuſtodiente innatum microcoſmi balſamum. Hanc Empirici præceptorum & legum artis noſtræ dogmaticæ & ſpagyricę imperiti, pœna non honorariis afficiendi, floribus albis antimonii non correctis, ad gra. quatuor vel quinque, aut eiuſdem regulo, aut præcipitati mercurij puluere, tentant. Ob id vniuerſalem curationem dicentes, quod ex vniuerſo corpore etiam ex habitu, pituitam, bilem vtramque, & hydropicorum aquas, vomitu moleſtiſſimo, alui deiectione violentiſſima, tanta virium & naturę humanæ iactura, vt frequēter animam vna cum humoribꝰ educāt: in quadratis ruſticorum corporibus licèt morbum venereum, & vlcera maligna, curaſſe fre-

ſe frequenter glorientur, tamen quam longè ab vniuerſali illa ſanatione ſint remoti, palam eſt illis qui reliquum vitę ab aſſumpto poculo in perpetuis cruciatibus degunt. Cum ſit creatum nihil quo magis conſeruentur, & redeant vires quam vniuerſali illo medicamēto, quod aurum eſt obriſum, non quidem mercatorum: ſed noſtrum in aqua matre ſua digeſtum, ſeu paruus puluis de quo fit aurum (*Eſdras lib. 4. cap.* 8.) humanæ naturæ tam conſentaneum vt illo aſſumpto tanta ſuauitas in gutture ſuperſit quanta dici vix poteſt, ſed ab aſſumente ſolum admirari. Arnaldus Villanouanus *lib. de reiuueneſcentia acquir. cap.* 2. ait, *corpus humanum ſyncerare & innouare, complexioni humanæ eſſe conuenienſ, calorem naturalem con-*

fortare, & cordis ſubſtantiam: Et ſuæ puritatis impreſſione; omnem deijcere impuritatem ab eo, & tueri illud, & clarificare ſpirituum ſubſtantiam, & ſanguinem mouere ad cutim. & cap. 3. lib. eodem. *Perla eſt quidem temperata, temperans & confortans calorem naturalem, ſed illud cui non eſt par eſt ſal de minera, & ſapientes aſſimilauerunt ipſum temperatum ſanæ adoleſcentiæ.* Geber dicit *quod eſt medicina lætificans & iuuentutem conſeruans.* Maiora promittit in roſarij lib. 2. dicens, *Sic etiam vim habet omnem ſanandi infirmitatem tam in calidis quàm frigidis affectibus, & ſi ægritudo fuerit duodecim dierum, curatur vno die, ſi vnius menſis, duodecim diebus, ſi autem vnius anni, curatur vno menſe*, inquit Hermes Triſmegiſtus cap. 7. *Aurum pretioſiſ-*

tioſiſsimus lapis eſt carens maculis, temperatus quoque, &c. *Fermētum vniuerſale cuncta rectificans temperata compoſitione,cap.* 4. Et rurſum, *ſol meus & radij mei ſunt in me intimi, Luna verò propria meū lumen eſt,omne lumen ſuperans, & bona mea omnibus bonis meliora ſunt, gaudium, lætitiam,gloriam, delitias intelligentibus largior,&c.* At idem Hermes,ca.4. *Ego coronor & diademate ornor, & cordibus lætitiam ingero, & ego vinctus vluis & pectori meæ matris & ſubſtantiæ eius, continere,& quieſcere meam ſubſtantiam facio,&c.* Hãc medicinam animo conſequi iuniores, nedum ſeniores medici etiam doctiſſimi non poſſunt, nulla ratione fieri poſſe exiſtimantes, vt vnũ idemq; medicamentũ,ſeu in auro obriſo ſimpliciſſimũ, ſeu in paruo puluere de

quo apud Eſdram ſit aurũ, vnum quidẽ ſed ex duob. compoſitum (filio ſcilicet & matre) in tam diuerſis valeat affectib. Verũ ſi hoc in theriaca fiat, inferiori gradu tamen, vt ſupra in quã diuerſiſſimis cõducat affectibus, ex variis ſimplicib. cõpoſita tẽperie maxime differentib. quidni in auro à natura ex elementis quatuor & vitæ ſpiritu compoſito, in perfectionẽ maiorẽ exaltato, per decoctionem in ſua aqua ignea; ac in intimis ſuæ matris viſceribus maturiore reddito? Nũquid aloe educit quemcumq; triũ humorum, & calorem etiam ſenũ fouet auget, corroborat? Quã diuerſas facultates remotiſſimas vni ſimplicium tribuit Dioſcorides? In propulſanda peſte & hydrope, nulla generis affinitate coniunctis morbis cõmendatur

vn

vnicornu temperatiſſimũ. Nunquid Aetius, *ca.* 97. *tra.* 4. *ſerm.* 1. teſtatur ſalẽ theriacũ vtile medicamentũ, non ſolum ad podagram, hydropem, lepram, & peſtem, ſed ad omnem morbũ; aurumq; per ignis familiaritatem fieri melius? Ex his conſtat aurũ noſtrum nõ ſolum corporis, ſed etiam animi medicamẽtum eſſe vniuerſale, nec humanum, ſed plane diuinum, ideoq; in omnibus morbis vſurpandum, ſed in diuinis potiſſimum.

De vtriuſque auri præparatione pro vniuerſali ſanatione.

Cap. VI.

Diuinus Hippocrates medicorum dogmaticorum & princeps & parens, dum fuit in viuis, artis medicę perfectionem ęelauit (quam plurimis interim

non fictè traditis ac nobis relictis) tamen ſalutis humanę amator, obſeruans, & affectus & eorũ cauſas, quandoq; medicos latere quãuis doctiſſimos, vt ob id propria non poſſint remedia præſcribere, & vt poſſint; hæc frequenter infirmiora eſſe quàm morbum, probis medicis quibus ægrorum ſanitas magis ſit cordi quàm lucrum, in auro nõ ſolum hanc vim inditã ad omnes morbos, ſed eius etiam pręparationẽ docet, verbis paucis, *li. 1. de diæta*, Iuriſiurandi ſui memor veriſſimis tamẽ & apertis dicens: *Aurum operantes tũdunt, lauant, igne molli liquant, forti autem non conflatur, & vbi elaborauerunt, vtuntur ad omnia.* Eorum arguens errorem, qui ipſum in folia explicatum tenuiſſima, ſeu in ſcrobẽ, confectionem Alkermes, & ele-

ctuario de gemmis miſcent, aut alio quouis modo exhibẽt, vt in terrę viſcerib. à natura productũ fixum, durum, crudum. Si enim vni igne nil deperit auro, ſi huic fornax nihil detrahit ſeptupla, qua ratione calor noſter inſitus, temperatus, in ipſum aget? An ventriculus qui edulij fortitudine læditur, cõcoquet, in chylum, ſanguinem, ſpiritus cõuertet, vt ſit corpori noſtro alimẽtum aut medicamentum? Præſtantiorem tradit Hippocrates præparationem, naturæ noſtræ conuenientiorem, vt ſit alimento & medicamento. *Vide Paracelſ. tracta. de peſte.* Quis enim pater medicus, filio ægro poſtulanti panem, alimentum aut medicamentum, porrigat aurũ immaturum, fæcibus adhuc onuſtum? Hanc ſi cõſequaris, puluerẽ exhibebis, vel

oleum crocei coloris vel rubei (ignis enim gradus varius variat colorem) vt ceram fuſibilem: vt ſaccharum reſolubilem, per vas retortum, leuiſſimo calore cum vini ſpiritu, in vas retortũ aſcendentem celerrime, atq; deſcendentem, vt ſup. doſi exigua ad gr. ij. delectabilem. Scio ſpagyricos quoſdam nobis dogmaticis inſultantes, non ex auro obriſo (vt verbis gallicis vtar, *de ducats*) aurũ potabile facere, ſed ex auri ſemine ſolo quod tranſit in puluerem paruum de quo fit aurũ, quem puluerem electis cõparat Eſdras, *li.* 4. *c.* 8 & reliquum terræ condẽnatis, verum cum hippocratica fiat prædicta ratione, tũdẽdo, lauãdo, igne molli liquando, nihil eſt in hac vniuerſali ſanatione quod dogmatici à ſpagyricis mutuentur, nec medica-

ment-

menti genus (cuius vis docet quantitatē exiguam) nec vtendi rationem, cum dicat Hippocrat. quod *vbi elaborauerunt vtuntur ad omnia*, id eſt ad omnem morbum, ſcilicet legib. dogmaticis obſeruatis in venæ ſectione & purgatione, vniuerſali, & particulari; atq; ipſum propriis & affectui ac parti dicatis remediis coniungendo; nec ſanationis vniuerſalis definitioné ſeu deſcriptionem: cū doceat Hippocrat. medicinam nihil aliud eſſe niſi oblationem & appoſitionem, id eſt ſuperflui eductionem, purgationem, & humoris vitalis, ſeu balſami microcoſmi appoſitionem, corroborationē, conſeruationem. Si quam gloriā meretur Seuerinus (vt profecto meretur & gratias immortales) in huius ſanationis vniuerſalis Hippo-

craticæ explicatione meretur. In hoc rurſus laus illi eximia debita, quod vnico medicamento, eoq; ſimplici ablationẽ & appoſitionem fieri expertus, poſteris nobis tradidit, cũ vt hoc attingant dogmaticorũ noſtri ſeculi primi, cinamomũ, ſpicã, multaq; id genus alia purgãtib. medicamentis (quib. nulla cũ corporis noſtri partibus affinitas intercedit, imo odio penitus inſito taciſq; diſcordiis plurimũ inter ſe diſſident) adiũgant. In leuiorib. affectibus hæc quidem vtilia, in epilepſia, podagra, hydrope, lepra, infirma. Hoc medicamentũ ab Hippocrate, *lib. de vita longa*, acceptũ ſibi tribuit Paracelſus, & auri præparationẽ verbis immutatis tradit dicens, *Reſolue obriſum eius corroſiuo dũ fiant idem, poſtea hæc reſolutio per putrefactio-*

nem

nem remouenda, ſic inhumatione peracta gignitur aurum potabile, & libr. de tinctura phyſicorum, *huius doſim exiguam, operationem potentiſsimam profitetur.* Pręparationē auri & vim tradidit Arnaldus Villanoua in roſario, & illius meminit, vbi dicit *natura vniuerſalis cum paucis principiis operatur mirabilia, medio ingenioſo pauca ſunt neceſſaria.* Et ſanationis vniuerſalis, huiuſque medicamenti vniuerſalis meminit *fol.* 263. *operis ſui* dicens, *Emothoici ſola vniuerſalia contemplantur, qui enim plura ſingularia ad vniuerſale reduxerit melior habetur.* Imo bene definit quidam dicens, *Medicina ſcientia eſt quæ neſcitur:* An nō hoc eſt quod ait Hippocrates, *delinquunt ferè omnes, ſed ſunt in doctiſsimis qui parum delinquunt.* Nūquid hoc eſt profiteri etiam,

doctiſſimis quandoque incognitum morbum, illiuſq; cauſam, & propterea in curatione quādoq; adeſſe incertitudinē, eoque fieri vt ſit opus medicamēto vniuerſali in quamlibet morbi curabilis cauſam agente, conſumente. Quis igitur ab Hermete, Hippocrate, Arnaldo Villanouano, & Aetio Dogmaticis & Spagyricis approbatum medicamētum vniuerſale, & ſanationē vniuerſalē aſpernetur, ad quemuis affectū, in quouis morbi tempore, & ætate, vt minimū quoad fieri poteſt, in affectib. potiſſimū incognitis & medicamentis particularibus, fortiorib. delinquamus, aut citius, tutius iucundiuſq; curemus? In morbis verò ſanabilibus, ac tutis & cognitis leuiorib. qui alias exitiales inuaderēt, rectè cōſtitutas leges noſtras vbiq;

gentium

gentium approbatas repudiare, quis Spagyricorum mẽte ſanus audeat? cum Hippocrates huius vniuerſalis medicamẽti peritus, cuique propria præſcripſerit, nõ contẽtus vniuerſali. Hinc liquet quãta ſit huius ſeu artis ſeu ſciẽtiæ difficultas, tanta profecto vt pleriq; etiã expertiſſimi ſibi diffidentes, à praxi abſtineant. Solis diis genitis officiũ ægris præſtare licet. Lanionem ad hanc admittunt vniuerſitatem, cum ad doctatus gloriam adhuc nõ doctum euehunt, grammaticorum ordinẽ peruertentes, apud quos præcedit poſitiuus comparatiuũ & ſuperlatiuum. Velim (vt hinc totius vniuerſi malo medear (mihi à grammaticis & vniuerſitatibus concedi gradum cõparationis quartum, vt docto, doctiori, doctiſſimo doctor addatur pro

gradu quarto, nec in poſterum ordo peruertatur apud medicos, in quorum manibus vita & mors etiam proborum.

Vtendi ratio.

Cap. VII.

EX vini ſpiritu, aut ex vino generoſo in morbis à cauſa frigida, ſiue vino in calidis, aut ex cauſa calida ortis, aut propriis dogmaticorũ medicamẽtis cõiunctum, vt fuit dictum prius, teſte Hippocrate dicente, *& vbi elaborauerunt, vtuntur ad omnia,* id eſt ad omnem affectũ, intellige ſanabilem, ſeu curatu quidem difficilem, legibus tamen naturę obtemperãtem. Eſt autem aurũ purum ſolutum vt non redeat in corpus operatione prima (via particulari) & adhuc non ſuffi-

ciẽter digeſtum, die primo diaphoreticum, ac theriacæ inſtar ingratum; die ſecundo aliqua vi cathartica benigniſſima præditum, in forma vero olei vel mellis diſſolutum digeſtũ nulla moleſtia, ſed ſuauitate maxima etiã poſt octo dies comitatum, fructus ligni vitæ inſtar. Ideò vitæ prolongatiuũ, hinc ad vitam lõgam cum ſale perlarum, & cum cibis euchymis præſcribitur.

Pax Dogmaticorum cum Spagyricis.

Cap. VIII.

IN errore vtriq; hactenus verſati ſumus, nos quidem dogmatici, hãc auri Hippocraticam præparationem inter artes mechanicas celatam nõ obſeruantes, tanquam vanam & inutilem

reiicientes. Nunc autem Hermetis Hippocratis, Arnaldi Villanouani, & Aetij authoritate prudentiores facti, nõ modo tãquam neceſſariam ad faciliorem morborum curationem amplectimur, ſed trium principiorum, ſalis, ſulphuris & mercurij ſeparationem, extractionem approbamus. Cum hæc vtriuſque auri præparatio perfecta, ſine horum trium principiorũ ſeparatione, depuratione fieri non poſſe teſtatur veritas & experientia. Si enim ad vniuerſalẽ ex auro medicinam aſpiras, Mercurium vniuerſalem ſulphuri ſuo ac ſali vnitum per digeſtionem & cohobationem recte ratam habeas neceſſe eſt: ſi vero ad particularem, particularem mercuriũ accipere debes. Vterque autem ex terra eleuatur, vnde & aqua va-

na ſeparatur, & eleuatur. Hermes *aſcendit à terra in cælum, & iterum deſcendit in terram.* Terra enim grauis aſcendit in partes alembici ſuperiores in formam mercurij, mercurius autem planè æthereus finita circulatione atque decoctione quieſcit, & figitur tanquam terra, hiſce ſulphur cõmiſcetur, vnitur, ex trib. fit natura vna, quæ prius ſub diuerſis hypoſtaſibus & formis ac naturis apparebant. Fit inquam mercurius & ſulphur ſal ſeu terra puriſſima fuſibilis vt cera. Tũ eſt vis totius integra, vnde Hermes ibi *vis eius integra eſt ſi verſa fuerit in terram*, hoc eſt ſi non amplius aſcendat ſub idea mercurij ſulphuriſve, ſed terræ inſtar ſubſideat fixa. Hinc terrę ſeu auro mũdo comparatur platea ciuitatis ſanctæ, *Apocal.* 21. & apud

Eſdram electi. Alterum autẽ ex terra erutũ mundũ non eſt. Nos quoq; ſpagyrici turpius errauimus, medicinæ ſcientiã dogmaticam condemnantes, repudianteſque tanquam à noſtra diſtinctam, cũ ſit vtraque vna eademque ab Hippocrate & Arnaldo Villanouano verè ſanctéque tradita. Hãc ab Hermete & Gebro ad nos tanquam per manus defluxiſſe rati. Permiſit Hippocrates multa inuenire. Ideoq; dextram (Heluetiorum more) coniungentes dextræ, promittimus, ſi quid in arte ſpagyrica quã noſtram exiſtimabamus immenſi pelagi nauigatione detegamus, in cõmune collaturos. Nos quoque dogmatici idem, fide eadẽ & æterna iurantes effecturos promittimus.

De tribus Spagyricorum principiis.
Cap. IX.

MErcurium vocant ſpagyrici aquam ex corpore ſeparatam, ſulphur oleum, ſal materiam quandam depuratã, quæ loci frigido humido liqueſcit, & reſoluitur, ſalis marini quo vtimur inſtar. Corporum quædam vt roſa & aurũ abundãt mercurio, quædã ſulphure, vt ſuccinũ, quædam ſale, vt perla, rubinus, granatum. Eorumq; corporum quorundã vis potiſſima in mercurio, quorundam in ſulphure, quorundã in ſale, vt roſæ & auri, Succini, perlæ, rubini, granati; prærogatiua quædam auri, in ſale & mercurio ac ſulphure potentiſſima: curari enim dicitur illius mercurio lepra, ſale verò caducus. Et ex quibuſdã putre-

factis elicitur ſulphur,& ſine putrefactione ex aliis;aniſi quidem & fœniculi, ſaluiæ, roſmarini & ſimiliũ per aſcenſum à vehiculo euectũ:ſuccini per vas retortum cõmodius quàm per deſcẽſum: ſingulorũ verò exactas ſeparationes docet experientia, *vide Paracel.li.de vita longa.* Decipiũt verò librorũ pars maxima, eorũ qui trãſcribũt ſibi prorſus incognita,quàm ſcribant, doceántve priùs à ſe ſeparata, præparata. Hinc fit vt tenebræ tenebris illuminatæ, tenebrarũ nomẽ retineant,& cõmentaria, textu obſcuriora fiãt, eorũ odio maximo qui ſumptib maximis & labore multo,paratu facilia diſcũt. Eorumq; pars maxima, aut fruſtra, aut fructu exiguo, eorũ inuidia qui celant,aut ſibi incognita docent & fallunt.

Cuiuslibet rei facultatem inuenien-di modus certiſſimus.

CAP. X.

CRuces ægrorũ, cruces maximę ſunt medicorum. Pœnituit permultos me quoq; frequentiſſimè, quod in medicinæ ſcientia tantũ temporis in quatuor Vniuerſitatib. collocaſſem, Louanij, Baſileæ, Friburgi, Briſcouiæ, ac Dolæ sũptus maximos feciſſem, artem hãc abiiciẽdam millies decreuerã, ob id ſcilicet quod ægrorum voto ſatisfacere, etiã rectè præſcribẽs nõ poſſem. Dioſcoridem & Galenum accuſabam, quoniã herbis, florib. radicibus reliquiſq; medicamẽtis nõ eas ineſſe vires exiſtimabam, quas illis ineſſe, ipſi tradebãt ac docebãt. Re enim probabã nec calculũ conteri & expelli, nec e-

pilepſiam, podagrã, hydropem, leprã curari, morbos inferioris ordinis permultos nõ ſanari per medicamẽtalia, quibus tamẽ vires maximas aſcribebãt. Verum Hermetis Triſmegiſti, Arnaldi Villanouani, Seuerini Dani lectione prudẽtior factus, in recẽtiorũ doctorũ & vniuerſitatum inertiã, imperitiã culpã meritò reiiciẽdã exiſtimaui. Quòd ſciẽtes virtutẽ diſperſam minorẽ eſſe ſe ipſa collecta, cuiuſq; ſimplicis virtutẽ, vt à natura productã, crudã indigeſtam per totã herbam, radices, flores diſperſam, ac diffuſam, ita reliquerũt, nõ exaltarũt, medicinę nos ſtudioſos nõ rectè inſtituerũt, nec cuiuſq; facultatis ſitũ & domiciliũ demõſtrauerũt, ignorãtes ipſi quęnam ſit virtutis herbarũ reliquorũq; medicamẽtorũ ſedes & hoſpitiũ

in his

in his maximis & palpabilib. tenebris ac difficultatibus: acuminis ingenij Fernelij lumē maximū effulſit, glaciē fregit, ſequuntur pauciſſimi, nil mirū ſi cōquerātur ægri, malè audiāt medici, potiones magnas, nō ſatis digeſtas parū efficaces præſcribētes. Ideo vt me doctiores ad id muneris ſuſcipiendū nō modo excitē, ſed precib. cogā, vt medicinæ ſtudioſos hac in re iuuem, ægris optatū ſolatium adferā, medicinæ gloriā acquirā maiorem, caput hoc decimum, paruæ meę pacis eruditioni primæ adiūgēdū putaui ex præcedēti cap. nono tāquā ex fonte profluēs, quo ſolo (ne lectorē morer) hic vtar pro exēplo ad mētis meæ cōceptus explicationē. Quorundam ſimplicium facultatē dixi in ſale ſitam, quorundam in ſulphure,

quorũdam in mercurio tota vis ſuauiſſima, maximè odorifera in cinamomi ſulphure, minor lõge in cinamomo integro, in ſuccino vt à natura coagulato nullus aut minimus ſenſu obſeruatur odor vel facultas, ſed in eius oleo potẽtiſſima, nulla prorſus in illius aqua, ſi quid in illo diureticũ eſt, id quære in ſale lapillorũ pretioſorum, vim poſui in ſale, roſæ in aqua potiſſime hoc videre licet apud eximiũ virũ Cheurier Pharmacopæũ Lugdunæũ celeberrimum, omni ſpagyricorum medicamentorũ genere, & dogmaticorũ pharmacopolim habẽtem inſtructiſſimã. Maiora docebo lector. In hac triũ principiorum ſeparatione, præparatione exaltatione nõ ſolũ medicaméti vis habetur maxima ob id quod quæ in toto erat prius

diffuſa

diffuſa; nunc in vno principiorũ eſt collecta, verũ etiã propterea quod cum eſſet prius in corpore craſſo tanquam ligata, fæcibus plurimis permixta, nũc poſt reſolutionẽ libera eſt, decocta ſpiritualis effecta. Ideo cum ſit aurum vulgare ad rem medicã ineptum plane, vim habet maximã in omnib. ſuis principiis, maximam inquam in mercurio, maximam in ſulphure, maximã in ſale calculum frangente, epilepſiã curãte. Hæc principia præparata, exaltata, aſtralia ſunt corpora Seuerini vt rectè quodlibet facultatis vehiculum ipſammet facultatem nõ male nominaueris, & quod prius corpus fuit nũc ſpiritus naturam & cõditionem ſortitum eſt. Ideo ſi Dioſcoridis aut Galeni authoritate & conſilio à te præſcriptũ medicamen-

tum domine doctor, à te exhibitum, pharmacopęe dilectiſſime, non iuuerit, aut quantum pollicentur Dioſcor. & Galen. quantum inquam optas vel infirmus, non præſtiterit, hac trium principiorum ſeparationem aggredere, & quod inutile obſeruabis; abiice, facultatis autem ſubiecto, à prædictis attributas omnes, tu quoque tribue, idipſum præſcribe. Sic facultatum omnium locum, ſitum, ſedem ac domicilium deteges, atque optatum effectum conſequeris. Bene vale.

FINIS.